

HOC GERDRUT. COM. (h. e. Comitissa) FIERI FECIT.  
Mortua illa perhibetur Anno 1064.

VI.

Crux aurea lamina undiqve obducta ejusdem cum præcedenti formæ & structuræ sine basi, ornata adhuc 17. lapidibus pretiosis, inter quos eminent 3. lapides cum totidem capitibus Regum Gothorum & inscriptionibus Gothicis, 26. item margaritis. Reliquiæ cruci huic inclusæ sunt

1. S. VALERII EPISCOPI, qui LXXII. discipulis Christi annumeratur.
2. S. Pancratii Martyris, *qui teste Mart. R. ad IV. Idus Maji. cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano Martyrium, capitis obtruncatione, complevit.*
3. De Lapide posito sub - - - quæ sequuntur, legi amplius non possunt.

VII.

Brachium & manus sagittam tenens (pollice & medio digito annulis ornatis) ex solido argento deaurato. Habet adhuc elegantissimæ structuræ 26. lapides pretiosos, in quibus saphirus egregius. Parte averfa hujus machinæ stat Dux aliquis Brunsvicensis ex Henrici Leonis posteritate proxima, habet enim sub pedibus duos Leopardos, notissimum Henrici Leonis insigne, & supra caput Leonis rictum.

Jacet